

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921



10

HORTI BOTANICI MANTUANI
HISTORIA, DESCRIPTIO, TYPUS

A U C T O R E

DOMINICO NOCCA

PROF. BOTAN. MANTUAN. &c.

Præstantissimo . Chirurgiæ . Doctori

D . Joanni . Alexandro . De . Brambilla

Carpiani . In . Insubria . Domino

Sacri . Romani . Imperii . Equiti

Consiliario . Aulico

Imperialium . Copiarum . Chirurgo . Summo

Universæ . Nosocomiorum . Militiæ

Diæceti

Studii . Medico-Chirurgici

Academiæ . Ab . Auctore . Josepho . II . Augusto

Josephi . Nomenclatione . Donatæ

Præsidi . Vigilantissimo

Collegii . Agathopolis . Chirurgorum . Parisiensium


Naturæ . Curiosorum

Mant . Haphn . Florent . Bonon . Academiarum

Socio

Dominicus . Nocca . Ordinis . Prædicatorum

Publicus . Mantuæ . Botanices . Professor .



HORTI BOTANICI MANTUANI
HISTORIA, DESCRIPTIO, TYPUS

AUCTORE

DOMINICO NOCCA

ORDINIS PRÆDICATORUM
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO
MANTUÆ BOTANICES PROFESSORE
HORTI PRÆSIDE:
MANTUANÆ SCIENTIARUM ET ARTIUM,
AC TURICENSIS PHYSICORUM ACADEMIÆ SOCIO.

Novum non eſt, neque omnino inſolens, eos, qui in Botanicæ ſtudio toti verſantur, primam Academicorum Hortorum originem, ſeriem, viciſſitudines, progreſſus varios: eorundemque una Præſides, Profeſſoresque tam utilis Facultatis, ſuo velle ordine deſcribere; & ſingulatim etiam nominando, ad promeritorum rationem unumquemque celebrare. Ac potius quod id jam fecerint aliqui, probem, ac laudem, cum pars Botanicæ Hiſtoria hæc ipſa videatur; quod aliorum nonnunquam narra-

tione decepti, minus vera quandoque protulerint, facile, ac perlubenter ignoſcam. Quod mihi pariter, ſi quid in hac Mantuani Horti tractatione ob id ipſum erravero, expedite ab aliis velim, ultroque donandum.

Jam ut de mea etiam loquar ſcribendi forma, haud ſane vereor, ne quis me parum candidæ, inornatæque prorſum latinitatis incuſet. Duæ namque iſtæ, pure ſcilicet, eleganterque ſcribendi, difficillimæ profecto eloquentiæ partes, ab his tantum jure meritoque depoſci debent, ac ſolent, qui ad utrasque ſuis in lucubrationibus rite exequendas pares ſe putant, & vero conantur. Me autem neque parem eſſe fateor: neque ullo etiam in hanc mihi comparandam laudem, voluiſſe modo contendere, ipſa, credo, per ſe ſatis declarat, declarabitque ut cum maxime tota ſequens oratio.

Dixi, novum non eſſe, neque plane inſuetum, Botanicos ſuis de Hortis, ſuæque Facultatis Profeſſoribus vel copioſe diſſerere, eosdemque laudando, definite enumerare. Atque id quidem ſummi, inter alios, præſtitere jam Viri, Murraius in Prodromo Floræ Gœttingenſis: Joannes Targionius Tozzettius in Catalogo Plantarum Horti Cæſarei Florentini: Adanſonius — Familles des Plantes tomo primo —: Tournefortius — Iſagoge ad Inſtitutiones Rei Herbariæ —: Joannes Calvius Cremonenſis, publicus Piſis Cathedræ Medicæ primæ Profeſſor ſuo in opere, cui titulus — Commentarium inſerviturum Hiſtoriæ Piſani Vireti Botanici Academici —; ac noviſſimis etiam temporibus Encyclopediæ Botanicæ Auctor, quem ajunt notiſſimum eſſe Dominum de la Marckium. Qui tamen poſtremus, articulo *Jardin* dicti operis, in hodiernis, Principum munificentia, Botanicæ-

que cultorum ſtudio, ac favore, invectis Hortis, ac Profeſſoribus enuntiandis, falſo fortaſſe ductus relatu, paſſim aberravit. Nonnullos enim, qui ſane quidem exſtant, oblivione penitus conterit Hortos: aliosque una, qui nunquam proprie tales fuere, Profeſſores Botanicæ Dela Marckius facit, ac nominat. Ad hæc autem perſpicue dignoſcenda illud videre ſat eſt, quod eruditus cæteroquin Auctor hac ſuper re de Italia ſcribit; quæ utpote ab ipſo longe diſſita, vel ob id fortaſſe, ad tutiſſimas hujusce facti notiones eidem ſuppeditandas minus fuit idonea.

Re quidem vera Florentinus Botanicæ Profeſſor eſt doctus D. Octavianus Targionius, filius Scriptoris Operis — Dè Viaggi in Toſcana; — minime vero, ut Dela Marckius refert, Nobiliſſimus, Spectatiſſimusque Antiſtes D. D. Angelus Fabronius, qui Piſis plerumque degit: atque ut eſt omnibus veriſſime præditus virtutis, & ingenii ornamentis (quemadmodum præclara ejus ſcripta produnt), jure idcirco celeberrimæ vetuſtiſſimæ Piſanæ Studiorum Academiæ regimen jamdudum tenet, ac præfecturam.

Romæ pariter publicum Botanicæ Doctorem quemdam vult eſſe Dominum Minaſium. Nemo ſane alius, quod ſciam, e gente Minaſia hiſce ſtudiis ſedulam navavit operam, niſi Pater Sacræ Theologiæ Magiſter, Antonius Minaſius meus Sodalis, Vir hercle ſtudioſiſſimus, atque ad optima quæque aptus natus. Is porro, ſupplemento perinde, ad aliquod tantum tempus Rem Herbariam publice in Urbe edocuit: eique paullo poſt ſcitiſſimus Dominus Jacobus Martellius in munere ſucceſſit.

Novam præterea Botanicæ Scholam, novumque ponit laudatus Dela Marckius Vicetiæ Hortum, Profeſſoremque Dominum Turra: qui in privato dumtaxat Excellentiſſimi, ac Reverendiſſii Patricii Veneti D. D. Cornarii, ejus Civitatis Epiſcopi, ac de Literis univerſis, deque Facultate Botanica ſingulariter benemeriti, Horto, herbarum ſtudia excoluit. Utique vero ingenioſiſſimus Turra typis plura conſignavit rem noſtram optime amplificantia, uti ſunt (— L'Illuſtratione ſù la Echinophora: Primitiæ Floræ Italicæ: Farſetia novum genus &c. —) quæ ſane ipſum ut egregium Botanicum jure ſcripta commendant; tametſi certe hujuscemodi nunquam fuerit Facultatis Profeſſor.

Encyclopediæ tandem Auctor publicum poſtquam Botanicæ Magiſtrum, atque Hortum minime hercle exiſtentes nominavit: alium quinque ferme abhinc luſtris veriſſime florentem plane ſilentio præterit; Parmenſem ſcilicet ſatis amplum, pluribusque optimis ornatum Plantis, nec non Caldario ad Adanſonii normam accuratiſſime erecto, congruentique itidem ad neceſſarios annales ſumtus perſolvendos pecuniarum ſumma munitum. Cujus quidem jam inde ab initio eſt Præſes, Regiusque ſimul Botanicæ Profeſſor D. Joannes Guatterius, Vir certe eruditus, atque omni laudatione digniſſimus.

Præmiſſa breviter, nec omnino, ut puto, ab re noſtra errorum facti detectione, unde dilucide, tutoque veritas innoteſceret, ad contexendam modo primævæ item, ſi fas eſt, originis, inſtaurationis, proceſſus Mantuani Horti Academici Hiſtoriam ſtatim venio. Quam vero perlibenter ſcriptionem ſuſcipio, repetitæ ut efflagitationi optimæque præſtantiſſimi literati Viri

Jacobi Rœmerii Turicensis Doctoris erga me voluntati obsequar, qui sponte sibi sumsit hanc ipsam una cum delineato, pictoque per me pariter ejusdem Horti Typo, sua inter erudita Opuscula, evulgare: postremum sane, ac levissimum eorundem ornamentum. Quanquam multis postea Rœmerius occupationibus ut arbitror, impeditus id minime præstiterit: ejusque loco eximius alter Turicensis Doctor Paulus Usterius comiter mihi favens, sua in præclara variorum item eruditorum Opusculorum collectione Commentariolum exceperit.

Itaque si a primis Horti hujus nostri auspiciis ejus derivetur origo, tantam certe hic præfert vetustatem, ut nulli perinde suo in exordio secundus videatur. Quisquis profecto antiquissimæ Urbis Mantuæ Annalium notitiam tenet, haud ignorat Vegetabilium quoque scientiæ amatores, cultoresque hic egregios identidem prodiisse. Sapientissimi mehercule Albertus Hallerus in Bibliotheca Botanica, & Vanderlindenius optimum ab hujusce Civitatis Medicis elucubratum Opus probant, inscriptumque — Antidotarium Mantuauum a Medicis Mantuanis ex multis Auctoribus collectum, castigatum, digestum: cujus prima sectione descriptiones compositorum medicamentorum, quæ publico usui sunt, continentur; secunda simplicia quædam medicamenta declarantur, & nonnulla, quæ ad parandi modum attinent — Venetiis apud Valgrisium in 8°. 1559. Id enimvero Antidotarium *Suis in Sermonibus super Antidotarum, ac Medicaminum sumendorum compositiones* ab eodem Vanderlindenio honorifice sane pluries in medium affertur; quod argumento certe est, egregium illud fuisse Opus Mantuanorum Collegii Medicorum.

Cunctis paucos poſt annos *Vanderlindenii Sermonum* diſtractis exemplaribus, doctus Mantuæ Pharmacopola Philippus Coſta de communi Societatis bono, commodisque mire ſollicitus, eos ipſos, ab ſe primum diligentiſſime recognitos, emendatos, adauctos, longeque prioribus ſui Auctoris Vanderlindenii præſtantiores: ac perinde novos Sermones, ſuo ſtudio, atque opera redditos, nitidis poſtea formis (neſcio an etiam aere proprio) hic juſſit excudi per Mantuanum Typographum Franciſcum Oſanna in 8°. Neque vero id fieri melius poterat, quam ab homine in Officina Medicamentaria exercitatiſſimo, herbarumque ſummopere per illud tempus intelligenti: quas etiam (nulla habita ad impenſas ratione) tum ad privata ſua ſtudia, tum ad aliorum profectum, rariores ſingulas, minusque ea ætate cognitas, multo jam antea Philippus Coſta collegerat; indiesque, quotquot ſibi ex optimis offerebantur, mercari non prætermittebat.

Naturalem Hiſtoriam univerſam, maximeque Mineralogiam ſapiens iſte Pharmacopola adamabat; ac cum (teſte Excellentiſſimo Cavallara ſua quadam in epiſtola ad Excellentiſſimum pariter Hieronymum Conforto data, atque in libro prædictorum Coſtæ Sermonum impreſſa) ampliſſimæ ſimul eſſet ipſe Coſta fortunæ, in hac quoque, Mineralogiæ nempe, aliarumque inſigniorum Naturalium Rerum, Veterumque itidem Monumentorum collectione facile potuit excellere. Eoque magis, quod a magni nominis ejus ævi literatis Viris Aldroando nempe Uliſſe celeberrimo, Hieronymo Mercuriali clariſſimo, Nocettio, optimo Apuæ Medico, Franciſco Accorombonio, Franciſco Alexandrio, aliisque, quorum fuerat

literario commercio honeſtatus, perrara ex ſupra laudatis rebus omnibus liberaliſſime dono habuit plurima: unde omnigenam, Cavallara ipſo referente, Philippus Coſta & ſibi, & ceteris Naturæ, atque Antiquitatis ſtudioſis, domi Pinacothecam inſtruxerat. Vere quidem ſi doctus Scriptor, ac Medicus, Clinicesque ſua hac in Patria Profeſſor Primus D. Aloyſius Franciſcus Caſtellanius dudum præcogitatum de Mantuanis Viris Illuſtribus Commentarium pervulgabit, eruditi Coſtæ, aliorumque pariter ingenio, doctrinaque præſtantium Mantuæ Civium, qui Rei Herbariæ toti vacavere, labores, ac fructus copioſe, ſciteque magis pro more ſuo explicabit: tutioribusque argumentis hucusque per me dicta facile confirmabit.

Ex prænarratis interea colligi non omnino immerito poteſt, aliquem hic ab antiquis usque temporibus Hortum Botanicum floruiſſe: vel privati is tantum juris foret, ac ſumtus: vel ad ſuſtinenda pro eo curando, amplificandoque impendia, Medici quoque Antidotarii commemorati auctores ſuam per ſe ſinguli pro voluntate ſymbolam darent: aut totum una ſimul Collegium Medicorum annalium particeps eſſet Horti iſtius expenſarum; qnæ quidem a veriſimilitudine non abhorrent.

Verum hactenus prolata firmo haud ſatis fundamento nixa ponantur, apta ut hinc duci argumenta queant, remotam adeo Mantuani Botanices Horti originem probantia. Talia certe futura fore non arbitror ea, quæ dicturus ſum modo de Præclariſſimo Marcello Donato, ob id quoque poſtremis hiſce temporibus, ut cum maxime fama inclyto, ac notiſſimo; quod egregios ejus mores, ſummam in Medicina tradenda, exercendaque peri-

tiam, Studia varia, Dignitatis gradus &c. exquiſito emiſſo ejusdem Marcelli vitæ Commentario, præfatus vere Doctor, ac Profeſſor D. Aloyſius Franciſcus Caſtellanius expoſuerit. Quæ porro hic a Marcello Donato facta ſubiiciam, remotiorem, profecto, quam vulgo opinantur, Mantuani Vireti Botanici Academici originem evidenter oſtendent.

Anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo natus eſt egregius noſter Donatus: propterea que haud multum poſt tempus ab ignoto orbe, felici tam auſu, per inſignem Columbum pervio nobis facto. Cumque de optimis in nova Mundi ora detectis, advectisque ad nos usque ſimplicibus, per ea tempora ſæpenumero inter doctos homines ſermo haberetur; Donatus primam vix fortaſſe aſſequutus juventam, Stirpium & ipſe, earumque præcipue nuper detectarum (dicente quippe Ovidio — Cunctarum eſt novitas gratiſſima rerum —) amore incenſus: ad majorem poſtea, ingenioſioremque ætatem, ac ſtudium ductus, in id continuo cogitationes omnes ſuas intendit. Unus tum Hiſpalis Medicus eximius, Herbarumque & ille amantiſſimus, Nicolaus cognomento Monardes, novorum Exoticorum Simplicium hiſtoriam patria rite lingua conſcripſerat; qua quidem a noſtro Donato ſtatim conquiſita, adepta, cupidiſſimeque e veſtigio, ac ſumma cum voluptate perlecta: atque, quo erat ingenio, bene perpenſa; quæque illico, amicorum, quos plnres habebat, favore, ac diligentia, ſibi ſtuduit comparanda, Medicinæ præſertim uſui utiliora, ac neceſſaria. Conjectare hinc non immerito licet, hominem conſideratiſſimum, ac ſollertiſſimum, iisdem, quæ obtinuerat, conſervandis Simplicibus, domi ocius Hortum

paraſſe; eoque magis quidam id ſecuritate affirmari poſſe video, quandoquidem in Opuſculo a ſe edito — De Radice Mechiocoana pagina tertia — ſic agit: „ Singula (ipſiſſima eſt ejus phraſis) „ Singula æque, ut fas fuit, „ experiri libuit. „ Quod autem illud verbum *Experiri*, non modo ſit intelligendum, cum dictam ægrotis ſumendam Radicem indiceret: verum etiam de illius ab ſe accurate præſtita domi cultione interpretari debeat, ex duplici videtur inferri poſſe Marcelli Donati Teſtamento; priori ſane ſub die quinta decima Maji Anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi primi, ſubſcripto per Notarium, cognomine Maſcoppium; altero, ac poſtremo ſub die decima octava Aprilis Anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi noni, ac ſubſcriptione ſignato Publici pariter Notarii Cæſaris Riccii: quibus certe exiſtenti jam Horto conſtantiſſime alludit, firmiterque inſuper mandat, propriis ejus Bonis conducendum — Unum Zardinerium (ſic Publicus Scriba expreſſim loquitur), qui attendere habeat Viridario, quod manutenere de Simplicibus diverſis ordinavit pro uſu, & ad beneficium D. D. Medicorum, & Aromathoriorum Mantuæ, ac etiam pro bono publico. —

Meæ huic aſſertioni magnum, ut par eſt, robur addit literatiſſimus per omnia plane Dominus D. Xaverius Abbas Bettinellius Mantuanus in annotationibus ad binos ſuos *De Literatura, Artibusque Mantuanis* Academicos Sermones; qui cum ſint elegantiſſimi, puriſſimoque, ex uſu ſuo, idiomate italico conſcripti, omnium ubique eruditorum facile manibus teruntur: ob idque videri a quoquam, conſulique hac etiam ſuper re commode queunt.

Validiſſime tamen meam probat aſſertionem nonnullarum vetuſtiſſimi omnino trunci proceritas arborum, noſtra adhuc ætate virentium in-Cavædio domus, pleniſſimi modo juris, Nobiliſſimæ Gentis De Bevilacqua: ubi Simplicium Viridarium Marcellus Donatus inſeverat, fontibus etiam ad jucunditatem, expeditioremque ejus irrigationem inſtructum; veluti geminæ efferunt priſcæ Inſcriptiones a Donati Viridario in Regiam inſignem Mantuanam Pinacothecam delatæ: atque una cum aliis ejusdemmodi in Opuſculo, quod fert titulum — Muſeo della Reale Accademia di Mantova, — ſuppreſſo nomine, recens emiſſæ ab acutiſſimo Scriptore Domino Matthæo Burſa a Secretis Mantuanæ Scientiarum, & Artium Academiæ; cujus merito nunc aſſidet gubernaculis ſummo loco natus D. Hieronymus Comes Murarius, *Dalla Corte* nominatus, Vates certe maximus, ac religioſus: qui binis Epigrammatum Italicorum *De Romana Hiſtoria, & Univerſa Philoſophia* impreſſis Centuriis, multum jam ſibi nomen veriſſime comparavit: majora etiam ac tutum Eques doctus, optimusque editurus.

Sunt autem indicatæ modo Inſcriptiones, quæ hic ſequuntur:

Prima.

Marcellus
Poſuit
Novo
Decore
Donatis
Que
Sodalibus
Que
Fontem.

Altera.

Hic
Lymphis
Ubi. Limpidis
Lavemur
Sedetur. Sitis
Hortus
Irrigetur
O b r e p a t
Placido
Sopor
Suffurro.

Nihil autem, aut parum certe miror, tam longum effluxiffe tempus, quin vel cogitatum unquam fit ea perpetrare, quæ ad commune bonum nofter fapientiffime, faluberrimeque Donatus pro fuæ hujus Patriæ caritate conftituerat. Id enim plerumque eft rerum illarum fatum, infortuniumque, quæ etfi fanctiffime commiffæ, imperatæque, ut fiant: non continuo tamen a jubentis denati præfcripto efficiuntur. Quocirca hæc quoque variorum viciffitudinibus temporum obnoxia, omninoque poft obliterata, nullo negotio depereunt; quemadmodum Horto vere accidit noftro, ea plane tempeftate deperdito, in qua Donatiano debuiffet munere ut cum maxime inclarefcere. Ita porro infeliciffime res ceffit, quin forte ullus ad Donati conftituta animum adverteret: immo vero quin aliquis eadem fortaffe refcifceret.

Sereniffima Margarita Gonzaga Sereniffimi Ferrariæ Ducis Vidua, prope Marcelli Donati ædes, ac Viridarium Regiam Suam ædificavit. Ifabella dein Clara, Archidux Auftriæ, Caroli Ducis Mantuæ Primi morte & Ipfa Viduata, anno millefimo fexcentefimo feptuagefimo primo, fupra dicto Margaritæ Gonzagæ illuftri jam Domicilio, totam, una etiam cum Viridarii loco, pariter

juſſit conterminam Domum adjungi: quæ plane ipſa erat, quam Marcellus Donatus, inſignis enuntiati Vireti Academici auctor, eximiusque ſane ſuæ Mantuæ benemeritus, habitabat. Tum finem habuit, prorſumque eſſe deſiit Mantuanus Botanicæ Hortus, primiter in vera ſuæ propriæ formationis origine inſpectus; eaque natus ætate, qua probe, acriorique primum jucicio jucundiſſima coepta ſunt Herbarum Studia, & vero utiliſſima.

Sed de remota, latiſſimeque conſiderata Vireti Botanici Academici exiſtentia ſatis, vel etiam nimium multa.

Publicum tamen, annuentibus, ut ſpero, Optimis Studiorum inclytæ hujusce Urbis Moderatoribus, ad beneficentiſſimi Donati nominis immortalitatem, grati animi ergo, monumentum erigendum decrevi: adjecto item æquiſſimo ſubſequenti elogio.

Marcello. Donato
Patricio. Mantuano
Caſtri. Ponzani. Comiti
S. Stephani. Equiti. Primi. Ordinis
Sereniſſimi. Mantuæ. Ducis
Vincentii. I.
A. Secretis. Conſiliisque
Græcarum. Literarum. Docto
Philoſopho. Medico. Scriptis. Etiam. Editis
Clariſſimo
Quod
Horto. Academico. Conſervando. Amplificando
Hæredium. Dono. Dederit
Beneficii. Memor
Dominicus. Nocca. Familiæ. Prædicatorum. Alumnus
Regius. Mantuæ. Botanices. Profeſſor
Atque. Horti. Præſes
Viro. Literatiſſimo
Ac. De. Patria. Optime. Merito
P.

Editiore autem, quo nitidiſſime videantur, hæc poni curabo novi hodierni Botanicæ Vireti loco, de cujus nupera, ſtrictèque ſumta conſitione, variationibus, proceſſu, Præſidibus, ac publicis usque ad id tempus Botanicis Profeſſoribus pro inſtituto meo ſuſe nunc dicam.

Paucos abhinc annos novus hic coeptus eſt Hortus, ſub vitæ ſcilicet finem Auguſtiſſimæ Imperantis Mariæ Thereſiæ: glorioſiſſimum cujus Regnum Scientiis, ac Bonis Artibus (Mantuanis præſertim) proſperrimum ſemper exſtitit, atque lætiſſimum. Ipſa itaque Optima Imperatrix præcepit, ut Regio Urbis noſtræ opportunior aliqua deligeretur novi Viridarii Botanici inſerendi. Tanto ab iis, ad quos ſpectabat, ſtatim, ut par erat, effecto mandato, præſens, in quo nunc floret, continuo locus deſignatur: ad mœnia nempe, prope veterem modo clauſam Urbis Portam, ac contra Templum D. Marci poſitus; qui locus Piæ olim Sodalitatis erat Sanctæ Mariæ A Secretis vulgo nuncupatæ. Præter Fanum (in quod fundendis ad Deum precibus frequentiſſime Sodales conveniebant) ejusdem loci pars reliqua ad Horti plerumque Olitorii modum, magno cum lucro exercebatur; potuitque idcirco præ aliis ad rem aptior non injuria exiſtimari.

Loco præſtituto, divenditoque item tum ſtatim juſſu Regio, legato Marcelli Donati liberalitate, ad ſui Viridarii Academici culturam, ampliationemque Prædio, fructuum ejusdem pecunia hodierni Botanices Horti favore continuo eſt erogata: factusque ſimul Profeſſor D. Sebaſtianus Helblingius. Quod ſane cognomentum Rem Herbariam callentibus eſt plane notum ob veterem quemdam Ottonem Helblingium, Germanicis in Ephemeridi-

bus annorum noni, & decimi hujus ævi laudatiſſimum: ceu qui cum diu (ut docti ſolent alienis in locis commorari) in Oriente conſtitiſſet, univerſæ hinc ejus ampliſſimæ Regionis Plantarum notionem cumulate perfectam Vir ſapiens obtinuerat.

Sed & Sebaſtianus Helblingius non omnino Botanicis eſt ignotus Auctoribus, ac Studioſis. Scribente quippe Mitterparcherio in erudito ſuo Agriculturæ Dictionario pagina duodecima ſecundi Voluminis, cunctas Auſtriæ feraciſſimæ Vites Sebaſtianus noſter accurate enumeravit, nomenclatione uſus, methodoque Botanicorum. An autem Opella iſtæc fuerit evulgata, prorſus ignoro.

At non me fugit nonnulla vere, quæ in Boemicis Actis continentur, ad Naturalem Hiſtoriam pertinentia, Helblingium hunc noſtrum cum laude promſiſſe. Clarus ſane Eques Dominus Bornius, de Mineralogia maxime peritiſſimus, Sebaſtianum Helblingium magnopere in honore habet, atque commendat. Ego vero, præter hæc inſignia vere alieni judicii teſtimonia, certum affirmare queo, & ſummi cum erga Vegetabilia amoris, ac ſtudii: & ſummæ itidem eorundem intelligentiæ præclarum hic ſemper ſpecimen exhibuiſſe. Quod ex dicendis clare patebit.

Anno milleſimo ſeptingenteſimo octogeſimo circiter primo noſter Botanicæ junctim, ac Mineralogiæ Profeſſor, atque Horti, ſe rectore, fiendi Præſes Sebaſtianus, ſuas hic cœpit utriusque laudatæ Facultatis prælectiones habere, omnemque etiam tempeſtive, ac tempori in Hortum inſtruendum curam impendere. Ingenioſum, atque una a labore ſemper invictum in his gerendis germano animo, ac more ſe præbuit. Nam etſi

(non-

(nondum quippe juxta Hortum fuerat per illud tempus Profeſſoris domus conſtituta) longiſſime incoleret; ſemel attamen, atque iterum in dies, ſpurciſſima quavis tempeſtate neglecta, Hortum adibat ſuum: oculis, animoque omnia perluſtrabat: ruſtica, veterum inſtar Romanorum, inſtrumenta contrectans, agri ſolo, ſoveis, prominentiisque paſſim inſperſo, æque ubivis complanando, operam dabat: ſuis ipſe manibus locorum menſuras inibat: areolarum diviſiones parabat: ſerebat aſſidue; optimeque ſic cuncta concinnabat, ut dum communi, in Medicis quam maxime excolendis Herbis, utilitati pro munere proſpiceret: pluribus, variisque Topiariis Operibus, Semitis, Sediculisque virentibus ad amœnitatem, captandamque commodiſſime auræ refrigerationem factis: ac bene olenti ex Narciſſis intexta, Polianthis, Ranunculis, ad areolas ſingulas conſita ſæpe, Vireti quoque Academici nitori, elegantiæque consuleret, quæ imperitos magis movet, quam utilitas. Neque vero, niſi ſe aſtante, quo recte e ſententia quæque evenirent, potiora ad ejus cultionem ab agricolis, famulisque cuſtodibus fieri præcipiebat; quibus item ſæpenumero, horis minime præviſis, de improviſo aderat: unde impigri ſuam quique Horto operam navarent.

In Plaga ad meridiem ſita, ubi ſupra laudatæ erat Piæ Sodalitatis Fanum, Sacrariumque, conſulto, ac ſapienter Frigidarium, Atriumque pro Schola locavit: utraque ſane admodum ampla, & excelſa, & venuſta; aliaque ibidem in uſus reliquos probe aptavit, diſtribuitque conclavia. Tot autem cum uno tempore obrueretur diſſimilitudine, magnitudineque negotiorum: atque una conſtantiſſime vellet ſtatis quibusdam majoris operæ die-

bus, pro ſingulari ſua ſedulitate, in rebus ſingulis intereſſe: haud raro accidit (dico quod eſt veriſſimum, etſi fidem vix capit), ut vel ferme ſub dio male, brevique in Horto cœnaret: vel flexo jam in multam veſperam die, adhuc incœnatus abiret. Nulli demum in omne tempus exercitationi, operæ, induſtriæque Virum egregium peperciſſe, auditione, atque exploratiſſima fama non ſemel accepi.

Jamque Hortus, ejusque paullatim rumor, atque exiſtimatio, tanto interveniente, atque allaborante Profeſſore, increbuerat; literatique jam Viri, Hortorum alibi Præſides, Doctoresque Botanicæ ſocietatem, fœdus, amicitiam cum Sebaſtiano Helblingio iniiſſe ipſi ſibi gratulabantur. Memini, ego certe, & ſcio, Præceptorem meum doctiſſimum Scopolium (cujus apud me æternum jure manebit recordatio) pluries audiviſſe dicentem, quædam ſe ab Mantuano Horto excepiſſe magni habita, & rara ſemina; accepiſſetque poſt etiam multo plura, ſi diutius Profeſſor hic noſter vixiſſet.

Aſt gnarus homo, & laboris patiens parum vixit. Nam unum plus minus poſt annum ab explicata Mineralogiæ, Botanicæque doctrina, ſuſceptaque ſtudioſi Vireti publici conſitione: cum die quadam, minime quo iret, animadvertens, citatiſſimo incederet paſſu, ſaxeæ columellæ medio violenter corpore impegit: exceptaque hinc Contuſione mortifera, acerbiſſimis aſſidue doloribus infelix tabeſcebat. Tutiorem, optimis adiutoribus Chirurgis, ingraveſcenti ut morbo medicinam afferret, Colurnum (ob Domum Auguſtam Suæ Regiæ Celſitudinis Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis, & Parmæ Ducis jure celebratiſſimum) Regale, inquam Colurnum

petiit; ibique Ducis Ejusdem mandato, apud quem plurimum gratia valebat Helblingius, præſtantiſſimi in Medicina, & Chirurgia exercenda Profeſſores, ardenti ſtudio ejus ſunt curationem aggreſſi; ac meo quidem judicio recte æger convaluiſſet, ſi confeſtim, ac ſine cunctatione illuc conceſſiſſet, fuiſſetque idcirco quamprimum inſtituta curatio. Itaque poſt trimeſtre, & amplius ſpatium ab adverſa valetudine, ut audivi dicere, acerrimos inter doloris morſus, æquo animo perlatos, ætate integra, miſellus occubit: nobisque præſertim magnum hercle reliquit deſiderium ſui.

Aequiſſimo literarum, atque ordinis cujusque literatorum æſtimatore, Regio Ipſo Ferdinando, Principe æque religioſiſſimo jubente, ac erogante, ejus cadaver elatum eſt magna funeris pompa: ſepultumque honorificentiſſime ibidem in majore Regii Colurni Templo, D. O. M. in honorem Beatæ Margaritæ ſacro; ſingulari quoque ad tumulum poſito lapide, cui titulum in ejusdem laudem fore inſcribendum rumor inceſſerat. Neque vero recte novi unquam, qua de cauſſa vel minime elucubratum: vel etſi factum, minime poſtea tale fuerit in ſepulcro inciſum Elogium; quod equidem hic poſtremo libentiſſime retuliſſem.

Tantam circiter ad annum Botanica Facultas tulit, luxitque jacturam; ac tum ſolum viſa eſt paullulum recreari; cum D. Angelum Gualandris Profeſſorem ſibi novum, ſuique una Vireti Præſidem ſalutavit. Qui equidem mox ab utroque accepto munere, Rei Botanicæ in Schola tradendæ totum ſe dedit, ac adulti jam Horti culturæ, amplificationi, commoditatibus, & ornamentis: quin vero & Hiſtoriæ Naturali, quam publice pariter

profitebatur. Inter Horti commoda, & ornamenta poſtremum illud haud cenſeo, erectam, novi Profeſſoris inductu, biforem fuiſſe miræ altitudinis januam, cancellis ferreis ex imo ad ſummum rite protenſis, ac ſuperiori in parte, concinna quadam inæqualitate elaboratis, communitam: quæ ſpatioſum, plane, elegantemque omnino præbet ingreſſum.

Nec ſatis poſtea recens Profeſſor contentus commiſſam ſibi (quanquam pridem jam totam ferme cultam) noviter ad genium ſuum terram exercuiſſe, Hortumque in ſex præcipue areolas: ampliores quatuor formæ quadratæ, medium, multoque maximam ejus partem tenentes: paullo minores binas, Triangulum Rectangulum exhibentes, primoque iſtas Horti aditu recta ad oculum utrinque objectas, bene diſtributum, fœcundiorem hinc, commodioremque ob interjectas plures ſemitas: ac nova item, ex Thuja Orientali confecta, viridis ſemper ſepis plantatione, comtiorem, ad ſua conſilia, reddidiſſe; Conchis inſuper, qua Octogona in medio: qua Elliptica prolongata: qua Orbiculari in Areolis, atque Horti extremitate, figura; quemadmodum ex annexo hic Typo patet, ad varietatem (quæ ſumma eſt ipſa per ſe formoſitas, & elegantia) belle ex ſaxo in ora undique circumſtructis, ubique ornatum voluit; unde viva, ut fert occaſio, e ſiphunculis recta cogitur ad magnam plerumque altitudinem aqua exſilire, non tam ad viſus oblectamentum, locique dignitatem, venuſtatemque adaugendam: quam ad plus accomodæ, quod pluris æſtimo, maximis potiſſimum in caloribus, rigationis feſtinationem. Profecto, ut ſingularia, quæ tum ad Alpinas, tum Aquatiles, aptis ad id (extra areolas) paratis locis alen-

das: grandioresque itidem multimodæ, & egregiæ notæ, in extrema, prope depictum ſcilicet proſpectum, utrinque ſuperſtite Horti regione, ſuſtentandas arbores geſſit, mittam reliqua (in propoſito ejusdem Typo ſatis, ut opinor, expreſſa): nihil ſane factitiis hisce Fontibus elegantius, ſplendidius certe nihil, utiliusque pro re noſtra poterat excogitari. Dignus ob hæc quæque, etſi non omnino cuncta abſoluta, qui diutiſſime tantus, Profeſſor a Botanica maxime viveret. Quanquam, Tullio affirmante — Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ functus eſt munere. —

De Gualandris Patria, ætate, indole, ingenii vi, eruditione varia, aliisque nobiliſſimum hic, ac ſempiternum exſtat monumentum, quod ſtatim refero: nullum ut eximio Deceſſori meo, præſtantibusque genere, ac virtute Mantuanis Civibus, ſingulariter ipſum, meritoque probantibus, a me deſit obſequii, ac venerationis officium: Eſt autem in hæc præciſe verba monumenti Chirographum exaratum a Domino Leopoldo Camillo Volta, Regiæ hujus Bibliothecæ Præfecto, primarioque nuperi univerſæ Literaturæ Mantuani Diarii Scriptore. Hominem hunc multis nominibus laudandum libens nomino, magnique ſane facio.

Dictum jam accipe, Lector, de Angelo Gualandris Monumentum.

„ Æquum fuit ſemper Viros commendatione dignos „ poſt funera proſequi officioſe, ut non ſolum merita eo„ rum juſtis afficiantur honoribus, verum & ad imitatio„ nem Poſteri laudabiliter excitentur. Quapropter quum „ poſtremis his diebus defunctus ſit Mantuæ Illuſtris „ Phyſicus Patavinus Angelus Gualandris, qui in Regio

„ Ducali Gymnafio, haud fine ingenii laude, Hiftoriam „ Naturalem publice profeffus eft per annos V., nonnulli ejusdem Amici, & Collegæ opportune duxerunt, „ memoriam honeftiffimi Viri Pofteritati transmittere. „ Obtento igitur affenfu Patrum Ordinis Servorum B. „ M. Virginis, in quorum Æde fub titulo S. Barnabæ „ depofitus eft in pace, conditusque in fepulcro, Sodalium SS. Sacramenti die feptima hujus menfis prædictus Illuftris Phyficus, lapidem cum fequenti infcriptione in area Templi media communi impenfa collocarunt. „

„ Angelo. Gualandris
„ Philofopho. Et. Medico. Patavino
„ Rerum. Naturalium. Cognitione
„ Itineribus. Scriptisque. Claro
„ De. Rebus. Præfertim. Georgicis
„ Apud. Mantuanos. Optime. Merito
„ Morum. Suavitate. Et. Præftantia
„ Domi. Forisque. Acceptiffimo
„ Immature. Vita. Functo
„ VIII. ID. Decembr. CIƆIƆCCLXXXVIII
„ Amici. Et. Collegæ. Mœftiffimi
„ Pofuerunt. Benemerenti. IN. Pace.
„ Qui. Vix. Ann. XXXVIII. Menf. V. D. II.

„ *Nomina autem ipforum, fequuto Cognominum ordine Alphabetico, hæc funt:*

„ Ferrantes Agnelli Soardi Marchio, & Coloniæ Agrariæ Præfes.

„ Francifcus Archii, & Sacri Romani Imperii Comes, „ & Coloniæ Socius.

„ Francifcus Biondi Comes, & Coloniæ Socius.

„ Joſeph Bonazzi, Coloniæ Socius.
„ Matthæus Borſa, a Secretis Regiæ Academiæ Scien-
„ tiarum &c.
„ Aloyſius Cavriani Marchio, & Coloniæ Socius.
„ Joannes Baptiſta, Sacri Romani Imperii Comes De Co-
„ loredo, Coloniæ Socius.
„ Aloyſius Faſſati Marchio, Eques Hieroſolymitanus,
„ & Coloniæ Socius.
„ Jacobus Filiaſi Comes, & Coloniæ Socius.
„ Joſeph Garofoli, Coloniæ Socius.
„ Antonius Pinazzo, Studiorum Regens in Regio Du-
„ cali Gymnaſio.
„ Franciſcus Sartoretti, Coloniæ Socius.
„ Joachimus Scaroni, Coloniæ Socius.
„ Dominicus Todeschini, Juris Conſultus, Coloniæ Socius.
„ Leopoldus Camillus Volta, Regiæ Bibliothecæ Præ-
„ fectus. „

„ Quæ porro Societas, orans prædictos Patres Ordi-
„ nis Servorum B. M. Virginis, quod retenta eorum in-
„ dulgentia, Monumentum in eodem loco, ubi nunc
„ poſitum eſt, diu ſervent incolume, ita ut nemo illud
„ aliquando valeat diſtrahere: orat etiam Reverendum
„ Patrem Priorem ejusdem Collegii, ut præſens Chiro-
„ graphum nomine ipſius Societatis accipiat, inque Ta-
„ bulario Ædis diligenter cuſtodiat, ne lateat unquam
„ in poſterum memoria depoſitionis prædicti deſidera-
„ tiſſimi Viri, cujus Anima requieſcat in pace. Amen. „

„ Actum Mantuæ die quinta decima Menſis Decem-
„ bris 1788. Indictione ſexta.

„ Ad Mandatum Societatis proprium.

„ *Leopoldus Camillus Volta.* „

Plura de Angelo Gualandris dicere non eſt opus poſt ingenuam adeo, perſpicuamque publici erga eum judicii ſignificationem. Quæ quidem & ipſa, quanquam Homini, Phyſicis, atque Agrariis ſuis ſcriptis in Literatorum memoria per ſe ſemper victuro, minus neceſſaria: tamen eſt præclariſſima, neque erat reticenda.

Plus quam biennium ab Angeli Gualandris obitu, ſuo caruit Botanices Cathedra Moderatore. Hanc ipſe, qui hæc ſcribo, omnibus certe ingenio, nec non ætate inferior, una cum Vireti Academici regimine, viginti duos abhinc menſes, pro mea tenuitate ſuſtineo. Quæ priore anno, nempe milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo primo (de habita per me Schola non loquor, ceu quæ ad hujus Commentarioli ſcopum nihil illa pertineat) ad Horti commoditates fecerim, ex præpoſita ad emiſſum meum Plantarum Indicem Epiſtola facile cuique conſtabunt; ad quam benevolum Lectorem remitto, ne videar ſine cauſſa velle modo de me loqui, atque jam relata ad nauſeam usque repetere: quod eſt utrumque ab naturæ. inſtitutique mei ratione prorſus alienum. Quæ autem vix proxime elapſo anno milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo, altero quidem a demandata mihi Horti Publici adminiſtratione, ad hujus ornatum, utilitatemque geſſi: præter erectum contra novas fores haud mediocris magnitudinis, ut novarum (de quibus ſupra jam dixi, cum de Angelo Gualandris Deceſſore meo ſermonem haberem) amplitudo, & dignitas forium poſtulabat: nec ineleganter omnino depictum Proſpectum; ac Notas itidem Arithmeticas, relativum cujuscumque Stirpis numerum enuntiantes (lateritio cocto operi, plantationem in areolis diviſiones, ſubdiviſiones-

que circumeunti, fugaci tantum atramento olim fuperfcriptas), fchedulis nunc metallicis, colore, oleo diluto, bene pictis, ad venuftatem, ac perpetuitatem impreffas; præter terram, quam plerumque ubivis tenuem, ac jejunam reperi, partim jam immutatam; locumque poftremo ad dubia, nova in germinatione, femina pernofcenda, in remota Horti laeva parte non ita pridem ftatutum; præter hæc, inquam, parva quidem per fe fingula, fed multa tamen, multique fimul omnia fumtus: fubfequentia infuper ad ornatum æque atque ad commodum aptanda curavi.

Duas videlicet ad dexterum, ftatim in ingreffu Horti, latus, quam proxime feptum calce firmatum fitas, neglectasque hactenus humi portiones, ipfoque cum fepto angulum efficientes; neque vero mea fententia prorfum temnendas: addita item ad fimilitudinem reliquæ, pari Thuiæ Orientalis crefcente fepe, colui, exornavique: magno etiam Tullio, cujus plurimum femper ab omnibus haberi in honore debet auctoritas, id mihi quodammodo peropportune fuadente „ Laudato" (jure ait per omnia doctiffimus Romanæ Eloquentiæ Princeps) „ Lau„ dato ingentia rura, exigua colito. „ — Ac fi per me modo præftita, atque enarrata, minus integra vera cuipiam viderentur, dubitanti pariter, ac cenfori, fi forent, nofter in omne tempus, ad quæque cominus perluftranda, liberrime patet Hortus; patebitque femper interritus, fecurusque de veritate.

Univerfi porro, tum quoad numerum, tum quoad fpeciem, delectumque Plantarum, eodem anno millefimo feptingentefimo nonagefimo fecundo, Horti proceffum, evulgata jam a principio vertentis anni millefimi

ſeptingenteſimi nonageſimi tertii, ſavente Deo, prior ad meum Plantarum Catalogum Mantiſſa planiſſime, veriſſimeque declarat. Quæ uberior hercle, ac fortaſſe præſtantior prodiiſſet in lucem: niſi invidorum quorundam, Hortique olim ſervorum nequitia, & fraude, pretioſis fuiſſem nonnullis Stirpibus inopinanter orbatus; dum ſcholaſticis præteriti nuper anni milleſimi ſeptingenteſimi nonageſimi ſecundi feriis Bononiam, Hetruriamque, ſtudiorum meorum cauſſa, contenderam. Atqui quæcumque modo Mantiſſa ſit, publici jam eſt facta juris; eamque nemo non quit facile conſulere, atque una etiam cum prædicto meo Plantarum Indice, ſeu Catalogo, ſi volet, comparare: quo de hodierno noſtri Vireti Botanici Academici ſtatu certior omnino reddatur.

Utinam ipſe (extremo tamen demto, longeque ſemper amoto) Deceſſorum meorum, de quibus meritiſſimo hac in Hiſtoria cum laude ſcripſi, exempla poſſem imitari! Et quoniam parum ingenio valeo, diligentia ſaltem multum abundem.

Additamentum.

Poſteaquam cuncta perſcripſeram, opportune mihi ſe obtulit Vindobonenſis Imperialis Aulæ Diplomatis expoſitio: quæ cum in propoſitum id meum optime quadret (de Horti enim Botanici in Urbe Mantua inſtitutione, præter alia, fuſe ſatis tractat), eam idcirco ex Italica Lingua fideliter latine redditam hic placet exponere; quo tanti monumenti acceſſione, mea ornatior evadat Hiſtoria, ſplendidior, atque probatior. Eſt autem laudata Regii Diplomatis expoſitio, vernaculo noſtro ſermone *Avviſo* inſcripta, Mantuæ typis impreſſa, & pro-

mulgata ſub die quarta Octobris anni milleſimi ſeptingenteſimi octogeſimi; ac ſubſignata Colloredo, qui tunc temporis ſollertiſſimus erat omnium Mantuæ Studiorum Moderator, ac Regiæ itidem Scientiarum, & Artium Mantuanæ Academiæ Præfectus. Dolenter profecto Comitem ampliſſimum Carolum Colloredo, jamdudum morte deletum nomino: Equitem ſane generis præſtantia, ac ſummæ religionis, virtutisque: & magni etiam ſuam hanc in Patriam amoris laude, omnium adhuc ore celeberrimum. Multa porro, ac præclara, quæ Nobiliſſimum Virum ſingulariter facta commendant, quæque facile, veriſſimeque proferri poſſent, ſilentio cogor præterire, ne ad aliena ab hujusce ſcriptionis ſcopo, mea longe nimium excurrat oratio.

Itaque laudati hæc eſt Regio-Imperialis Diplomatis per ſupra memoratum Comitis Caroli Colloredo edictum expoſitio.

„ Ad plurima " (ſic expreſſe ſe habet) „ Ad plurima, „ eaque certe inſignia, quæ jampridem Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regina Apoſtolica, Mantuæ, ac Mediolani Dux „ Maria Thereſia, juvandis Mantuanorum Civium rebus, „ beneficia contulit, ac commoda; illud plane magno „ Suæ Cæſareæ Majeſtatis dignum animo recens accedit, novæ ſcilicet in hoc Regio Ducali Gymnaſio mox „ Scholæ aperiendæ: cujus quidem ſupremo nutu nuperrime Profeſſor electus & conſtitutus D. Sebaſtianus „ Helblingius (Helbling), *de quo jam ſupra copioſe ſatis „ egimus*, Naturalem Hiſtoriam, nec non Rem Medicam „ publice explanabit; addita quoque in ipſo Regali Di-

„ plomate juſſione Horti Botanici Officinalis quam pri-
„ mum hic inſtruendi. „

„ Quia vero novum id ſapientiſſimum Clementiſſimæ
„ Imperatricis Reginæ conſilium eo maxime ſpectat, ut
„ ii potiſſimum vere, optimeque proficiant, qui Phar-
„ maceutices ſtudio dant operam: quod ſane univerſæ
„ humanitati tam eſt utile, ac neceſſarium, quam utilis,
„ ac neceſſaria vitæ hominis conſervasio; hinc ad ube-
„ rem fructum percipiendum, qui nempe ſaluberrimi eſt
„ hujus inſtituti finis: de mandato, ad Regium Studio-
„ rum Præſidem huc miſſo, de mandatò, inquam Ex-
„ cellentiſſimi Domini Comitis Caroli De Firmian Au-
„ ſtriacæ Inſubriæ plena cum poteſtate Adminiſtri, &
„ Mantuæ Progubernatoris, Juvenes quotquot Pharma-
„ ceuticis Artis cultores aſſiduam poſthac navare ope-
„ ram tenebuntur Botanicis, atque Hiſtoriæ Naturalis
„ Prælectionibus, quas paullo ſupra nominatus Profeſſor
„ erit proxime habiturus: Chymicisque itidem D. Nico-
„ lai Bertucinii, qui multo jam ante ut Chymicus Pro-
„ feſſor hic adlaborat. Quin etiam nemo unus ad medi-
„ camina deinceps conficienda probabitur, ni ſubſcrip-
„ tam primum, a Profeſſoribus certam fidem exhibeat,
„ ſe in hæc Studia ad biennium incubuiſſe vel in Regiis
„ hisce, aut Mediolanenſibus Scholis, vel in Publica Ti-
„ cinenſi Academia. „

„ Ne autem ſola ad Prælectiones ejusmodi audiendas
„ frequentia huic adimplendæ præſcriptioni ſatis eſſe cre-
„ datur, Juvenes quotquot monitos volumus: quod an-
„ tequam ſuæ in ſcholaſticis exercitationibus aſſiduæ præ-
„ ſentiæ teſtimonium referant, licitum, liberrimumque
„ omnino Profeſſoribus erit ipſos examini diſtricte ſubji-

„ cere, iis tamen aſtantibus, quos huic rei aptiores lau- „ datus Studiorum Præfectus cenſuerit; quoties nullum „ antea per literarios habitos ludos, ab earundem Facul- „ tatum Profeſſoribus propriis in Scholis præſtitutos, ſui „ profectus ſpecimen, atque experimentum ediderint. „ Jure autem utentur proprio Magiſtri, prælaudatam „ ſuis Auditoribus approbationem libere denegantes, ubi „ de eorum in ejusdemmodi Studiis peritia, nullo ſatis „ certo conſtet vel publico, vel privato ſaltem periculo. „

„ Cum denique Studia hæc ipſa non ad Juvenes tan- „ tum Pharmaceutices arti deditos, verum & alios Op- „ timarum Scientiarum cultores pertinere quodammodo „ poſſint; omnes idcirco cujusvis ordinis, atque inſti- „ tuti homines ad eadem ſtatim capeſſenda ſummopere „ incitantur, annuis item ad præmium, ex Regalis hu- „ jus Academiæ cenſu eliciendis, centum, ut vocant, „ Florenis conſtitutis: iisque indiſcriminatim quum Lai- „ cis, tum Eccleſiæ addictis impertiendis, qui ingenio, „ virtuteque probata in hoc Studiorum genere plus ce- „ teris enituerint. Curet itaque unusquisque Noſtratum „ tam egregiæ voluntati, atque optimæ, acquiſſimæ- „ que Regiæ Aulæ invitationi, ac votis pro viribus „ continuo reſpondere. „

Hactenus Regio Cæſarei Præſcripti declaratio, juxta emiſſum citato ſuperius anno, ac die Mantuanum Edictum.

Equidem pro ſua quique facultate reſpondere ſane ſe velle debebunt ingenioſiſſimi plerumque Mantuæ prognati, tot undique fortunarum una ſocii, atque participes. Clementiſſima namque Imperatrix Regina Apoſtolica Maria Thereſia non contenta modo graviora primum donaviſſe Vectigalia: veterem Fiſci legum rigorem tem-

peraſſe: Agrorum faviſſe cultioni: Annonæ copiam. Commercia; omne denique ſive Commune, ſive Privatum Bonum, Induſtriamque non tam patrocinio, quam liberaliſſimis, contra Ærarium Pro; rium, ultro latis legibus adauxiſſe (quemadmodum publica ex marmore conſtructa grati in Munificentiſſimam Imperantam hujusce Urbis animi monumenta teſtantur): non hæc, inquio, ſatis habens tam large cuncta pro Mantuanis feciſſe, intentum quoque Maxima Imperatrix ad utiliora ſemper Studia promovenda adjecit animum, ut ne quid Suæ Mantuæ in poſterum tempus commodi deeſſet, ac decoris: nec vero inſigne ullum Ejus in Urbem ipſam benevolentiæ, munificentiæque argumentum.

Quæ cum ita ſint, nemo plane exſtat Mantuanorum Civium, qui Auguſtiſſimæ, poſt collata vix ferme tot omnigena beneficia, fato functæ, Regiisque pariter Auguſtiſſimis Ejusdem. immature adeo demortuis Liberis, Joſepho II, ac Leopoldo II. Egregiæ Parenti virtute ſociis, ac paribus, Supremam in dies Felicitatem; viventi vero reliquæ Auſtriacæ Imperiali Genti: potiſſimeque Dominatori modo Inclyto Cæſari, ac Regi Apoſtolico Franciſco item II, florentiſſimam juventam, viride ſenium, & læta ſemper, ac fauſta omnia diligentiſſime, & ex animo non adprecetur.

Explicatio Proſpectus Horti Academici Mantuani.

A. Introitus ad Hortum.

B. Triangulum Aurantiis hinc inde diſpoſitum.

C. D. Areolæ binæ triangulares pro Pharmaceuticis plantis.


E. Quadratum pro Graminaceis.
F. — — — pro Umbelliferis.
G. — — — pro Plantis annuis.
H. — — — pro perennibus Clima noſtrum ferentibus.
I. Locus prominens parvuli collis formam gerens pro ſubalpinis plantis. In ejus apice Marcello Donati monumentum conſtituendum erit.
L. Aquatilium plantarum ſitus.
M. Exoticarum arborum locus.
N. Hic ſuperſtructa eſt Machina Hidraulica. per quam aqua octo conchis in centro cujuslibet areæ poſitis communicatur, ibique ad libitum retinetur, & exſilit.
O. Arboreta.
P. Locus pro terris aptandis, & fovea pro fimo.

Plantæ perennes æſtatem ſolum ſub dio ferentes, adeoque in ollis collocatæ ſuper marmoreas concharum oras transferuntur & in una quidem Odoratarum ſeries, in altera Bulboſarum, in tertia Venenatarum ... & ſic porro conſtantiſſime locantur.

Omittitur delineatio Caldarii, nove reficiendi, ſicut in præfatione ad Catalogum horti Mantuani adnotavi.


Ulterior explicatio per Hiſtoriam Horti ſatis ſuperque patet.

Scala dimenſionis ad latus poſita eſt.


P
H
G
M
I
C
A
D
L
B
E
F
O
N






UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 057757343